

ex libris
Donald Mac
Gillavry
CNdeWilde

# TOPOGRAPHIAE NATVRALIS LIPSIENSIS SPECIMEN III.




QVO

AD AVDIENDAM ORATIONEM

QVA MVNVS

PROFESSORIS HISTORIAE NATVRALIS EXTRAORDINARII

DIE XIV. NOVEMBRIS MDCCCIV.

H. L. Q. C.

AVSPICABITVR

HVMANISSIME INVITAT


FRIDERICVS SCHWAEGRICHEN,

PHILOS. ET MEDIC. DOCT.; SOCIETATIS PHYSICAE ET PHYTOGRAPHICAE GOETTING. BOTANICAE RATISBON. ETC. SODALIS.


---


LIPSIAE

EX OFFICINA SOLBRIGIANA.

Lectoribus historiae naturali faventibus hisce paginis traditur topographiae naturalis Lipsiensis specimen tertium Postquam enim anno MDCCXCIX. primo specimine universe agri et soli Lipsiensis situs et conformatio breviter descripta, et secundo Florae nostrae castigationes et additamenta suggesta erant: iam ad animalium historiam intentionem convertere lubet. Et quum mammalium, aviumque, quippe omni fere Germaniae communium, natura ab exteris et nostratibus scriptoribus iam satis enucleata videatur, quum reptilia perpauca indigenae sint, quum Leskius enumerationem piscium e genere cyprini iam pridem dederit, cui praeter aliquos vulgares et edules pisces et gasterosteum *aculeatum* vix aliquid addendum venerit: ad minorum animalium classes pergendum est, in quibus observationi lata patet area. Nam praeterea quod in hisce ingens specierum notarum copia prostat, quarum indolem persequi longum et operosum est: multae etiam inter eas inveniuntur, quae in auctorum catalogis et systematibus nondum recensitae sunt; eaeque plurimae inter insecta, inprimis aptera, hemiptera, diptera, neuroptera Linnaei, quae singula suo tempore in lucem proferentur. Hoc vero loco, ut systematum ordinem servemus, insecta coleoptera seu eleutherata prima pro parte enu-

merabimus et quum species singulas fusius definiendi neque spatium neque locus sit, sufficiat, eadem e Fabriciano systemate nominasse et rariorum loca natalia vel memorabilia quaedam indicasse, apposita obtestatione: nos ea, qua decet, accuratione auctorum descriptiones; icones, amicorum collectiones comparasse et examinasse, ut recte nomina habeant. Eandemque ipsam ob rationem quasdam species, quae nondum descriptae esse videntur, fere omnes silentio praeterivimus, quia Franco-Gallorum et Italorum aliquos libros evolvere et perquirere nondum licuit, in quibus istarum forsan mentio facta sit. Caeterum libere confiteor, imo certum et mihi persuasum habeo, multa insecta coleoptera, quae in viciniis nostris degant, in eo catalogo desiderari; sed et dubiorum indiciorum odi ambiguitatem, nec ea prosperitate fruitus sum, ut in animalium investigationem et tempus et otia mea, ut par esset, omnia impendere auderem.

---

# CATALOGUS
## INSECTORUM ELEUTHERATORUM FABRIC.

GEOTRYPES NASICORNIS, habitat copiose in areis hortorum stercorariis; variat magnitudine, thoracis protuberantiis elevatioribus, et fere obliteratis in ipso mare. Coloris varietas maxime ab aetate pendet.

SCARABAEUS TYPHOEUS, Aprili et Maio rarius in silva Academica, in arenosis frequens prope *Düben*; quaerit vias publicas in silvestribus et stercus equinum. Multum variat magnitudine et cornuum thoracis longitudine. Occurrunt exempla, in quibus transitus a maris structura in feminae habitum luculentus est. Notandum etiam videbatur, quod semper cornutos, qui mares habentur, pilulas, e fimo confectas, cornubus interpositas ferre et in terram recondere solebant, exempla mutica nunquam. Caeterum parum fodit, et plurimum super stercora sedet. Post nasicornem primus vere prodit inter maiores.

MOBILICORNIS, prope Grimmam rarissime. Aliquando inventus exeunte aestate, quum tamen Maio et Junio apparere soleat, esse fertur; ipse sub crepusculo semel eum cepi mense Julio prope Meisdorf.

STERCORARIUS, variat, ut sequens, colore cyaneo, viridi nigro.

VERNALIS, variat elytris laevissimis et sulcis tenellis exaratis, ut vix a *sylvatico* satis semper distinguatur.

SILVATICUS, subhemisphaericus, clypeo rhombico, vertice prominulo, elytris striatis interstitiis subrugosis. Faun. Boruss. pag. 9. Habitat in silva academica.

APHODIUS SUBTERRANEUS, in arvis. β, elytris fusco nigris.

FOSSOR. β, elytris rufis, in silva Academica.

PRODROMUS.

TERRESTRIS frequens.

BIMACULATUS Fabric. Post Lauchstaedt eum aliquoties inveni; dubitaverim, an terrestris varietas sit, quippe qui nobis satis frequens occurrit, quum bimaculatum neque alii nec ego Lipsiae propius invenerint.

FIMETARIUS, frequentissimus.

ERRATICUS. Kugelann faun. Boruss. — β, elytr. fuscis; erraticus Fabr. satis frequens, elytrorum macula fusca mox magna, mox fere evanida.

CONSPURCATUS faun. Bor., α, conspurc.

INQUINATUS. Fabr.

SORDIDUS, variat magnitudine et colore pallido.

LURIDUS. β, nigripes Fabr. — frequens.

HAEMORRHOIDALIS, rarus.

ARENARIUS. faun. Bor.

RUFIPES β, *oblongus* Herbst. in silvis frequens.

LURIDUS.

QUADRIPUSTULATUS; in arenosis prope Düben passim.

TESTUDINARIUS, in siccioribus, primo vere volitans.

QUISQUILIUS, in stercore equino, bovino.

PORCATUS β, elytris fuscis, primo vere volitans.

ASPER, rarius, post Martisburgum prope Seeburg copiosum inveni Iunio 1798.

FOETIDUS. β, faemina, conflagratus Fabr. — passim autumno.

COPRIS LUNARIS, in hac specie, ut in aliis cornutis, thorax tuberibus mox magnis, mox fere evanidis instruitur. Capitis cornu longitudine variat, interdum longitudine thoracem aequat. Profunde fodit. Habitat in silvaticis et arvis arenosis prope Düben.

LEMUR + quantum equidem scio, ea Lipsiae nunquam inventa est. Fabricius accepit exempla a Leskio, cui apportata erant ab Eberhardo, iam defuncto; is vero me certiorem fecit, se Lemurem Dresdae invenisse, Lipsiae nunquam. Nec copridis eius moribus Lipsiensis agri natura convenit.

COPRIS TAURUS prope Düben passim.

MEDIA. Prope Düben inveni vere 1798, sed ibidem Copridem *Vaccam* nullam vidi, in Franconia hanc, mediam nunquam vidi.

COENOBITA, in siccis arenosis passim.

NUCHICORNIS, ubique.

FRACTICORNIS Preysleri, in siccioribus.

XIPHIAS. Eam nunquam nisi in stercore ovino vidi, paullo serius veris prodit, quam duae antecedentes.

ATEUCHUS SCHREBERI frequens.

FLAVIPES, in pratis arenosis silvaticis prope Düben.

OVATUS, ubique frequens.

HISTER UNICOLOR. Panz. fn. 4. 2.

OBSCURUS, faun. Boruss.

SEMIPUNCTATUS.

AENEUS.

DUODECIMSTRIATUS, Herbst.

DEPRESSUS.

FLAVICORNIS sub cortice pinus silvestris, Herbst.

BIPUSTULATUS.

SINUATUS.

4 MACULATUS.

BIMACULATUS Herbstii, versus Halam.

PUNCTATUS passim. Faun. Boruss.

SULCATUS, rarius. Herbst. hist. striatus.

SPHAERIDIUM SCARABAEOIDES. $\alpha$, $\beta$, bipustulatum $\gamma$, lunatum, $\delta$, marginat.

UNIPUNCTATUM.

MELANOCEPHALUM.

ATOMARIUM, vere omnium primum.

CRENATUM faun. Bor.

aliaque nominis minus certi.

ANISOTOMA ARMATUM, faun. Bor. sub cortice quercuum et pinuum silvae Dübensis.

CORUSCUM ibidem.

CORTICALE sub cortice abiet.

PTOMOPHAGUS FORNICATUS, passim.

BYRRHUS PILULA.

ATER.

FASCIATUS. In confiniis Mansfeldicis.

VARIUS, in muris domorum suburbanarum vernali tempore circumrepens.

FASCICULARIS Panzer faun. Germ. 24. 2. inventus aliquoties in rima corticis quercus, succo quercino repleta.

TROX SABULOSUS, in elatioribus viis et arenosis passim.

ARENARIUS ibidem.

OPATRUM SABULOSUM. In arvis elatioribus siccioribus.

TIBIALE in arenosis silvarum, pinetorum viis, post Düben Maio.

BOLITOPHAGUS AGRICOLA, in boletis salignis gregatim post Düben.

SCARITES ARENARIUS, in campis lutosis cursitans, verbi causa prope Klein-Zschocher, in arenosis nobis rarius.

GIBBUS iisdem locis, in arvorum sulcis cursitans.

GAGATES, Hellwig in Panz. faun. Germ. 11. 1., rarius in silvis elatioribus, in Varisciae lapidosis cum sequente frequens.

PICEUS. loc. cit. 11. 2.

BLAPS MORTISAGA, inter hortorum reiectamenta, interdum in aedibus humidis.

FEMORATA, in arvis elatioribus, Maio conspicua.

GLABRA in colliculis sabulosis apricis Maio.

DERMESTOIDES faun. Bor., in pinetis frequens.

TENEBRIO MOLITOR. — CULINARIS.

TROGOSITA CARABOIDES, in truncis salicum vetustis, Maio prodiens.

MELANDRYA SERRATA (Serropalpus caraboides. faun. Bor.) in quercu, Rosenthal.

HELOPS LANIPES, in silvis rarius.

ATER, in silva Academica.

CARABUS CORIACEUS, in silva Academica sub muscorum stratis non ita crassis, sed densioribus, quae aggera tegunt, hieme, aestate circumvagans.

CYANEUS, raro prope Lipsiam, in montosis Saxoniae frequens; non ad hunc pertinere potest car. *intricatus* Linn., ut in fauna Borussica docetur; Linnaeus enim ait, *intricatum* esse forsitan *coriacei*

varietatem; sed quo pacto potuisset insecta duo tantopere dissimilia inter se comparare et in unam speciem coniungere? Magnitudo, habitus, thoracis forma et alia nimio plus *coriaceum* a *cyaneo* distingunt.

GEMMATUS Fabr. habitat passim sub muscorum stratis et in truncis putridis silvae Academicae. Frequentior sub Varisciae silvaticae lapidibus.

HORTENSIS Fabr. nemoralis Faun. Bor.; in silvaticis arenosis remotioribus, in silva Academica aut propius eum me invenire non memini.

AURATUS, in agris siccioribus frequentissimus.

AURONITENS, hunc Zizae inventum, cum aliis speciebus attulit Constantin, med. Doct.

GRANULATUS Linnaei et Faunae Bor.; nobis variat α) cupreus pedibus nigris, β) cupreus femoribus rufis, apice nigris. γ) viridi aeneus. occurrit in silvarum humidarum truncis putridis frequens.

CANCELLATUS Faun. Boruss. In truncis silvae Academicae. Variat magnitudine, colore plus minusve splendido; varietatem totam nigram femoribus rufis in monte pinifero Franconiae inveni. Notabile videbatur carabos *silvestrem* et *arvensem* et ipsos in montibus altis, v. c. in Bructero, colore nigro instructos, saepe mihi obviam fieri.

CARABUM CLATHRATUM Linnaei neque Lipsiae, neque in omni Saxonia inventum vidi, etsi vulgare nomen est in entomophylaciorum catalogis, semper carabum *cancellatum* aut *granulatum* eo nomine insignitum reperi. Carabus *clathratus* Linn. et Faun. Bor., (*auropunctatus* Herbst.) e Pommerania nobis mitti solet.

NITENS, hic aut rarissime aut nunquam Lipsiae inventus esse mihi videtur, etsi locorum natura non moveat dubitationem, quippe quem in prato spongioso planitiei prope Brandenburgum invenerim; non igitur inter mere monticolas referendus est. Saepius invenitur sub lapidibus viarum in circulo metallifero, tempore vernali.

PLANUS F. insectum nobis rarum, interdum locis obscuris domorum suburbanarum.

LEUCOPHTHALMUS F. *melanarius* Faun. Bor. in arvis et silvis siccioribus frequens.

NIGER F. et Faun. Bor. ibidem; alatus, et praecedente maior.

RUFICORNIS ubique satis frequens.

FULVIPES Fabr.?, similis *tardo* Faunae Boruss., nisi quod iste paullo maior sit.

FLAVICORNIS. Hunc ante hos quatuordecim annos frequenter in campis versus Eutritsch cursitasse, me docuerunt veterani, qui eiusdem tum invenere varietatem elytrorum disco ferrugineo. Nunc temporis eodem loco desideratur et invenitur in arvis elatioribus rarius.

OBLONGOPUNCTATUS, in truncis silvarum elatiorum.

4 MACULATUS β) marginellus F. γ) agilis. F., sub cortice inprimis hippocastani, var. γ. sub muscis arborum truncos ambientibus.

ALBIPES? F. in silvis humidis.

B.) *thorace postice* attenuato.

CEPHALOTES.

C) thorace quadrato.

STRIOLA, METALLICUS, HIRTIPES Faun. Boruss., rarissimi, in Saxoniae montibus frequentiores.

D) thorace rotundato.

PUNCTULATUS in arvis siccioribus, collinis.

HOLOSERICEUS β) nigricornis. in silvis humidis elatioribus passim.

PILICORNIS.

LEPIDUS in arvis siccioribus; variat colore cupreo viridi, cupreo coeruleo. β, coerulescens. Fabr.

CUPREUS, pari coloris varietate gaudet.

VULGARIS.

EXCAVATUS Payk. β, totus fere niger.

ANTHRACINUS. Faun. Boruss.; Panz. Faun. Germ. 11. 11. C. nigrita.

CISTELOIDES. Faun. Boruss. pag. 163.

OVATUS.

HELOPIOIDES.

EURYNOTUS. Faun. Bor. pag. 167. Panz. Faun. Germ. 37. 23.

COMMUNIS, ibid. pag. 168. Panz. Faun. 40. 1.

TARDUS, ibid. Panz. Faun. 40. 2.

AENEUS. α) *azureus* Fabr. β) aeneus. maxime variat; adsunt exempla ferrugineo colori simitima.

PARUMPUNCTATUS F.

SEXPUNCTATUS F. in silvae Academicae humidis.

IMPRESSUS, Faun. Boruss. 195. Panzer. Faun. German. 37. 17.

VIDUUS ibid. pag. 195. Panz. Faun. G. 37. 18. in truncis putridis.

VIVALIS, Faun. Boruss. pag. 197. Panz. Faun. G. 37. 19.

NIGRITA, Fabr., Faun. Boruss. pag. 175.

FUMICATUS. Panz. Ent. Germ. pag. 60., Faun. Germ. 30. 16. in area horti Bosiani Augusto 1798. inventus.

MELANOCEPHALUS.

CYANOCEPHALUS, variat elytris et capite viridibus.

CRUX MAIOR, passim in humidis.

HAEMORRHOIDALIS, copiosum inveni in foliis coryli Iunio 1798 in monticulo Bieniz.

LUNATUS passim ad radices arborum, in silvaticis elatioribus in Variseiae campis, sub lapidibus agrorum frequens.

PRASINUS, passim.

ATRICAPILLUS Linn. in silvis humidis.

QUADRIPUSTULATUS, (Carabi Fabricii sequentes sunt, elaphri Faunae Boruss.)

QUADRIGUTTATUS.

AQUATILIS, Faun. Boruss. 232., Panz. Faun. G. 38. 10. hi omnes inter muscos silvarum humidarum et in pratis depressis.

USTULATUS, in campis. RUPESTRIS, ibidem.

BIPUNCTATUS.

CELER. Carabus celer Fabric.; orichalcico elaphro Kugelanni valde similis.

DECORUS Panz. TINCTUS Panz. PAVIDUS Panz. DORIS.

MINUTUS, PYGMAEUS, TRISTIS.

Minores complures habeo nominis ignoti, quos alio tempore et loco pictos et descriptos proponere animus est.

CALOSOMA SYCOPHANTA passim prope Lauchstaedt.

INQUISITOR. β, totus cyaneus. In silvis elatioribus humidis.

BRACHINUS CREPITANS rarius versus occidentem.

CICINDELA CAMPESTRIS, in campis elatioribus siccis. Mas minor, elytrorum puncto medio, et apicis parvo, faemina maior elytrorum punctis pluribus apicis macula lunata.

HYBRIDA in silvaticis arenosis, Düben.

GERMANICA in elatioribus, agris ad pinetum pago Lindenthal proximum, Leucopetrae, Belgershayn.

ELAPHRUS ULIGINOSUS passim.

RIPARIUS, ad latera stagnorum arenosa, verbi causa prope Lindenthal.

STRIATUS, passim.

FLAVIPES, in humidis arenosis.

PALUDOSUS. Panz. Ent. pag. 69. Faun. Germ. 20. 4.

AQUATICUS in silvis humidis solo lutoso ubique.

SPERCHEUS EMARGINATUS ad radices plantarum aquaticarum et in luto tarde circumrepens.

HYDROPHILUS PICEUS. in aquis haud fluentibus profundioribus.

CARABOIDES in stagnis minoribus.

SCARABAEOIDES Fabricii, *fuscipes* Linnaei. Interdum ad culmos graminum aquatilium considere solet. Variat colore subcyaneo, praesertim subtus, tumque a *nonnullis* pro diversa specie habetur.

ORBICULARIS in stagnulis.

CHRYSOMELOIDES, passim.

HAEMORRHOIDALIS Fabr.

MARGINELLUS.

OBSCURUS.

LURIDUS.

GRISEUS, isti minores in stagnulis minimis circumrepunt. Complures minores adsunt nominis ignoti.

HYDRACHNA OVALIS. In fossis et stagnulis frequens. Larvam exuit Augusto, tumque pallide ferruginea est, maculis aliquot testaceis.

GIBBA, praecedente minor et minus frequens.

DYTICUS LATISSIMUS. Rarissime in stagnis maioribus. Lindenau. Lindenthal.

MARGINALIS.

PUNCTULATUS. Difficillime a marginali distinguitur. Clypeus et macula frontalis ferruginea in utroque conspicua, statura eadem; non igitur alia nota superest nisi margines anterior et posterior thoracis in punctulato tenuissime et oblite ferruginei, in marginali lata fascia testacea, e qua tamen extrema lineola nigra emergit. Abdomen in utroque testaceum.

ABDOMINALIS. Nova et cum praecedentibus forte confusa species. Differt statura minore, macula frontali subnulla, abdomine pedibusque nigris. Palpi antennae et tibiae anteriores supra ferruginei, thoracis margine anteriore et posteriore elytrorumque vitta marginali ferrugineis, abdomine nigro.

ANOMALUS niger thoracis margine omni elytrorum exteriore abdomine pedibusque testaceis, faeminae dorso laevi.

Similis marginali, at elytra in faemina ultra medium minus dilatata, in mare eodem modo dilatata ac in faemina, mas itaque posterius latior, quam marginalis.

α, pedibus et omni colore lutescente dilutiore: minor.

β, pedibus et omni colore lutescente ferrugineo: maior.

ROESELII. Faemina colore griseoviridi (Dyt. crassipes Leskii). rarissime.

SULCATUS.

FOVEOLATUS niger thorace glaberrimo, elytris sulcis decem longitudinalibus villosis.

Habitat in stagnis minoribus, fossisque.

Similis sulcato: sed tertia parte minor. Thorax in faemina utrinque foveola glaberrima impressa, quae in sulcati faemina villosa est.

FUSCUS. Thorax saepe latere et margine antico testaceus, ut *striatum* simulet.

CINEREUS, frequens in stagnis altioribus.

BIPUSTULATUS, in stagnis, non profundis. Nigro nitens et magis oblongus.

CARBONARIUS, minor, latior, magis convexus, et subpubescens. Lineae et puncta impressa in elytris. Frons bipustulata.

FENESTRATUS, *guttatus* Payk. minor, quam bipustulatus, nitido niger, diversus ab *aeneo* Illig. pedibus atris, magnitudine minore et statura minus gibba.

BIPUNCTATUS.

HÜBNERI.

ZONATUS, Hoppe enumeratio insectorum elytrator. Erlangae indigenarum.

TRANSVERSALIS.

ABBREVIATUS.

LACUSTRIS, Faun. Boruss. pag. 258. obscure metallicus laevis, flavo-marginatus subtus ferrugineus. Panzer Faun. G. 38. 14.

ATER, l. c. pag. 259. Panzer F. G. 38. 15.

AENEUS, Faun. Boruss. ibid. frequens est in fossis.

CHALCONATUS, Faunae Bor. p. 260. Panz. F. 38. 17.

MACULATUS.

ERYTHROCEPHALUS, colore plerumque brunneo est.

NOTATUS.

ADSPERSUS, Fn. Bor. pag. 261. Panz. Faun. G. 38. 18.

SEXPUSTULATUS Fabr. is in Entomologia Germanica Panzeri male neglectus est. A sequente differt magnitudine minore et macula prima elytri superiorem marginem tangente, transversali; in dorsali macula prima obliqua est et a superiore elytri margine late distincta.

DORSALIS, in fossis et sub lapidibus fontium.

β, rufifrons Fabr.

PICIPES ibid. pag. 267.

COLLARIS. Panz. Fn. G. 26. 4.

CONFLUENS F. Panz. F. G. 14. 5.

OBLIQUUS, Faun. Boruss. pag. 268. Elytrorum maculae saepe obliteratae.

IMPRESSUS.

LINEATUS.

INAEQUALIS.

MINUTUS F., Panz. Fn. Germ. 26. 3.

CRASSICORNIS.

DEPRESSUS ?

FUSCULUS Faun. Boruss. pag. 264.

UNISTRIATUS. Faun. Bor. 266. elytrorum liturae flavicantes incredibili modo variant. Est hic nostrorum Dyticorum frequentissimus.

E dyticorum serie videtur mihi excludendus esse dyticus Volcmari (Panz. Faun. Germ. VII. 4.), quem potius, cum alia specie minori, quam in rivulis Franconiae calcareae conferva rivulari extricavi, in unum genus coniungerem, cui nomen hydroi forte dari posset. Antennarum, pedum, thoracisque figura, atque mores, a dyticorum habitu maxime aliena sunt.

GYRINUS NATATOR.

ELOPHORUS GRANDIS Faun. Bor. pag. 272. elophori amant stagnula, solo arenoso.

AQUATICUS, NUBILUS, ELONGATUS.

MINIMUS, hydraena Faun. Borus. pag. 275. immerito ab elophoris seiuncta.

CORYNETES VIOLACEUS, ob victus rationem alienam a Cleris distinguendus. Frequens est in ossibus, carne denudatis. Variat colore toto viridi.

CLERUS FORMICARIUS.

TRICHODES APIARIUS.

ALVEARIUS.

NOTOXUS MOLLIS.

ANTHICUS MONOCEROS. FLORALIS.

PSELAPHUS HEISII.

CANTHARIS FUSCA. α, pedibus nigris, β, femoribus anticis rufis, γ, femor. omnibus rufis, basi et apice nigris.

LIVIDA β, elytris fuscis. *Dispar* F.

OBSCURA F. et Faun. Boruss.

RUFA Faun. Boruss. pag. 297. Panz. Faun. Germ. 57. sub canth. livida F.

PELLUCIDA. (nigricans Faun. Boruss.?) α, tibiis posticis fuscis β, tibiis posticis rufis.

BIPUNCTATA. Eam Lipsia accepisse Fabricius refert, fateor in agro nostro me huc usque latuisse. In Bructero cepi speciem, quae Fabricii descriptioni bipunctatae ex asse convenit, nisi quod thoracis non puncta duo, sed una macula adsit, quae figura inconstante est et facile e duorum punctorum confluxu formari potuit. Magnitudo lividae. Elytra apice margineque exteriore et interiore nigricantia, scutellum elytris concolor.

MELANURA, in pratis apertis et nemorosis frequens.

TESTACEA.

PALLIDA. *β*, *pallipes* Fabr. vid. Faun. Boruss.

CLYPEATA, Faun. Bor. pag. 299.

*α*, thorace fere toto nigro, similis pallidae, nisi quod pedes nigros gerat.

*β*, thorace toto rufo.

*γ*, tota testacea, solis oculis, antennarum apice, tarsisque anticis, pectore abdominisque segmenti cuiuslibet punctis 2 marginalibus nigris. Alae ut in caeteris varietatibus.

NIGRA F.

FULVICOLLIS in dumetis.

MINIMA non raro.

BIGUTTATA frequens. Has duas posteriores in Fauna Borussica deesse miror, quum et in Saxonia et in aliis regionibus non rarae obveniant.

MALACHIUS AENEUS. In spicis secalinis, pratis et alibi vulgaris.

BIPUSTULATUS. *α*, *β*, *γ*, marginellus Fabr.

FASCIATUS. In plantis *γ*, equestris.

PULICARIUS.

ANGULATUS. Specimina mea thorace toto rufa sunt, *pulicario* minora.

FLAVIPES, in pratis herbidis.

---

Restat, ut indicemus, quam huius libelli edendi occasionem acceperimus. Scilicet quum PRINCIPI SERENISSIMO, cuius clementia professio historiae naturalis nobis delata est, gratias de beneficio concesso impensas relaturi et officium diligenter nos servaturos esse sponsuri simus publica oratione: *De arte naturae phaenomena observandi:* Vos, RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE, PRINCIPES CELSISSIMI, COMITES ILLUSTRISSIMI, PROCERES UTRIUSQUE REIPUBLICAE VENERANDI, NOBILISSIMI ET HUMANISSIMI COMMILITONES, ut illam libenter audiatis, qua reverentia et quo studio decet invitamus.

